



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 74. Rex cum Regina Parisios feliciter veniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

una omnes nullo excepto aut mortem
 appetituros, aut tuto Regios Principes
 Parisios usque conducturos: ergo Rex
 mane circa quartam diei horam Mel-
 dis egreditur, comitantibus eum Aulæ
 suæ Proceribus, Regio Senatu, ac No-
 bilibus Matronis, quos omnes Helvetii
 agmine in quatuor acies explicato ita
 potenter undique cingebant, ut totam
 Aulam veluti valido propugnaculo in-
 clusam, defensionemque tenerent.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1567.

§. LXXIV.

*Rex cum Regina Parisios feliciter
 veniens.*

Albescente jam die Condæus Prin-
 ceptus, quem Andelotus sequebatur,
 cum suis copiis accurrere audebat: quin-
 imo dum Rex quartam circiter itine-
 ris leucam confecerat, sexcenti equi-
 tes illum adoriebantur, qui tamen at-
 toniti hærebant, cum Helvetios can-
 tare audirent, & pro more suo, cum
 ad certamen sese accingunt, terram
 osculantes, inclinatoque capite ha-
 stas suas decussatim tenentes, aditum-
 que sibi per vim aperire paratos cerne-
 rent, hinc Princeps eos obruendi spe
 frustrabatur, postquam vero Andelotus,
 & Rupifulcaldius unacum quingentis
 circiter peditibus a via declinaverant,
 rursus quo globi ictus pertingere posset,

Thuan. l. c.

Sæcul XVI. propius accurrerunt, suosque sclopetos
A.C. 1567. in primam Regii præsidii aciem exone-
 rarunt, quin tamen Helvetii inde ter-
 riti, aut itineris ordo interruptus fuisset: cum autem Connestabilis vereretur, ne incalcentibus animis sensim res ad prælium, invita etiam utraque parte, deveniret, Regi, ac Reginae auctor fuit, ut diverso itinere cum delecta ducentorum equitum manu ex aulica nobilitate, cujus præcipui Duces erant Claudius Lotaringus Aumalius, Vetus Villa Marecallus, Biro Malavicinerius, & Fonseca Surgerius, Lutetiam recta tenderent: ipse vero Connestabilis cum Helvetiis, ac reliqua nobilitate eodem semper ordine incedens, & frontem instanti hosti per vices vertens Borgetum prope Parisios venit, exiguo utrinque damno dato, aut accepto, nam ex Helvetiis non nisi triginta desiderabantur, Rex vero interea incolumis unacum Regina, omnique aulico comitatu ante vesperam non nisi quarta hora post multa pericula, quibus erat expositus, Parisios venit, quin toto die cibum capere potuerit, unice intentus, lætusque, quod Calvinistarum furorem evaserit.